



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

Capvt VII. In ipsis etiam Aquarum damnis, periculísque, Deum & iustum & laudabilem esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

## CAPVT. VII.

In ipsis etiam Aquarum damnis, periculisque, Deum & iustum, & laudabilem esse.

§. I.

Aquarum vituperatores esse, qui ab aquis damna sunt passi.

Ioan. 2. 5.



Vnt etiam, qui voce, non mente, Prophetæ, clamant: *Abiectus sum a cōspectu oculorum tuorum. Circumdederunt me aquæ, usq; ad animā, abyssus valauit me, pelagus operuit caput meum.* Sunt, qui mare fugiunt, qui flumina execrantur, qui, liberis fatales, puteos Diris deuouent; qui mille coaceruant, in aquam, accusationes. Descenderat Stratonicus Musicus, Pellæ, ad puteum: ibi haurientes rogauit: *Num esset aqua potabilis?* cū dixissent: *Nos istam bibimus: Non est igitur, inquit, potabilis.* quia illos videbat pallidos vultu luridōsq; ; quod interpretabatur malæ valetudinis argumentum, quam eos existimabat non aliunde, nisi ex aqua contraxisse. In effectu causam non falsa suasionē reprehendit. Quod plurimi faciunt, non solum vini potores, & aquæ o-

Athen. in  
Dipnos.

fores

fores; sed etiam illi, quorum vel filij, cum I-  
caro; vel coniuges cum Othorini vxore, vel  
parentes aquæ nimium biberunt: vel qui-  
bus, instante naufragio, totidem videntur,

*Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpe-  
re mortes,*

*Non tenet hic lachrymas, stupet hic, vocat  
ille beatos,*

*Funera quos maneat: verboq, interuenit  
omni*

*Plangor, & attonito gemitus à corde tra-  
hantur.*

Expertus hoc Aeneæ tubicen Misenus, ex-  
pertus Palamedes, expertus Leander Aby-  
denus, expertus rex Ceyx; experta est vxor  
eius Alcynoë, in fabulis; expertus in histo-  
rijs, cum conjugē honestissima, miserrimus  
Sofa: quorum priorem in coniugis conspe-  
ctum, mare eiecit mortuum; alterum viuū  
expuit in maiores calamitates. Execrata est  
aqua, apud Herodotum, Phronime, suafu  
nouercæ, ab Etearcho patre, rege Cretæ, in  
vndas & mortem præcipitata. Execrabiles  
fecit aquas Machometes, Amuratis F. Tur-  
corum rex, qui, vt refert, Chalcocondylas,  
cùm regni moderamen suscepisset, fratrem  
suum peremit, aqua infusa, spiritum eius

Senec. in  
Hercule  
Oetzo,  
Iouius in  
Actio.  
Ouid. II.  
Metam.

Petr. Ma-  
ffeius. de  
reb. Indi-  
cis lib. vlt.  
Herodo-  
tus  
lib. 4.

Chalco-  
condylas lib.  
7. Plutar-  
chus in

L in-

Alexan-  
dro.

intercludens. Quem propinandi modum  
etiam Suedicus miles, nuper reduxit. Bibi  
& Roxana Alexandro chara, cū aqua, mor-  
tem, cū eam æmula eius Statyra, Darij fi-  
lia, M. Alexandri vxor prægnaſtem in pu-  
teum demerſit; vt ſcribit Plutarchus. Acq̃  
eſto, non omnes aquæ potores moriantur  
cū tēperatè bibant: quot bibentibus aqua  
ſtrumam, febrim, tormina, venena peperit.  
Fuêre, qui, cum aquis, ſemina ranarum ha-  
rarent, in ventre maturata, & mutata in be-  
ſtias identidē ex inſolita palude coaxantes.  
Enimuerò illi ipſi, qui iracundum mare na-  
uigantes experti ſunt. Nonne, cum Carone  
ſtatuerunt, nunquam ſe, per aquas, iter fa-  
cturos, quod terris poſſet confici? Et ſtu-  
dioſus ille, apud Hieroclē, ex aquarum petu-  
culo euadens, quā lepido ſe voto obſtrinxit  
nunquam ſe ampliùs intraturū in aquas an-  
tè, quàm natate didiciſſet; quaſi ea ars extra  
aquas diſci poſſet? aut in gramine quoque  
nataretur? Exundationes Tiberis quantum  
nō Horatius modò, ſed & alij leguntur eſſe  
deſtati? quorum agros domòſque, in vicin-  
iis vrbibus ſubuertit? Et Poëta quidem  
licet eum fluuium pro Deo haberet, tamen  
per conuictium, *vxorim amnem* vocauit.

Horat.

lib. 1.

carm. od.

2.

*Ilia dum se nimium querenti  
Iactat ultorem vagus & sinistra  
Labitur ripa.*

Apud S:  
Greg. Tur  
ron. li. 10.  
hist. Frac:  
cap. 1.

Tantò maior luctus fuit, quando Tai & Al-  
mundi fluuiorum caduca aqua, seu inunda-  
tio Berthæ, Scotiæ vrbs, mœnia, cum ma-  
gna domorum parte, euertit. Tunc enim rex  
ipse Guilielmus, cum vxore liberisq; ac no-  
bilibus, haud expers periculi fuit; atque ex  
regiâ familia, Ioannes regis filius adhuc la-  
ctens, cum nutrice ac duodecim feminis, ac  
præterea aulici duodecim tragica morte,  
perierunt. Quod si hæc clades non sufficit; re-  
fert Trithemius, apud Flandros, An. 1014.  
ad 4. cal. Octobr. magnam nubium molem  
simul resolutam ex improviso, cælitus dela-  
psam, multa hominum millia suffocauisse.  
Quos tum gemitus, quos eiulatus putemus  
extitisse? Voces pereuntium non sunt lau-  
des perimentium. Longū esset, si lachrymas  
vellē enumerare à sponsa effusas regis An-  
gliæ filia, Hartmanno II. Rudolphi Imp. fi-  
lio, decimo octauo ætatis anno, prope oppi-  
dum Rhinau, in Rheno, submerso, & Basi-  
leæ cum matre Anna sepulto. Luctuosissi-  
mum fuit Othoni Luneburgico duci, cum  
eiusdem nominis paruulum filium puerili

Palm:  
An. 717.  
Ciacon:  
in Greg.  
II.  
H. Boe-  
thius. lib.  
13.  
Trithem:  
de reb.  
Hirsaug:

Cranzius  
l. 9. Me-  
trop. c. 20.

curru, infantum more, vectum, & familiae negligentia in vicinū flumen, de ponte, lapsus, dictoque citius submersus, hæredem masculinum vnicum aspexit. Vidit cadauerem & ferè oculos effleuit; nam & ducatum vidit cum eo, è familia abiturum. Quàm ille tunc nullas voluisset, in orbe, aquas extitisse, ne lachrymis eas augere cogeretur.

## §. II.

*Nocumenta ab aquis illata, & significata.*

Querelæ istorum, aliorumq; taliū threnantantas causas, quanta damna videntur habuisse. Quæ alij latiùs senserunt. Quam enim etiam miserandum fuit, maximè Venetijs, diluuium, quod, cum ingentibus tonitruis An. Christi 586. coniunctū, secutus est pestis sæuissima, Romæ, ob foetorem serpentum in ripas vndiq; eiectorū? An. 1086. tanta extitit, in Italia, aquarum inundatio, vt quasi liquefactæ rupes, sua ruina villas complures perditum irent. An. 1136. maribus suis finibus inopinatò egressum, Belgij partem haud exiguam, cū suis incolis, submersit. Nec, in Gallia, Sequana tantum, per totam niuersam Lutetiam, ita exundauit, vt, tunc Genebrardo, octo dierum spacio, vix per

Palm.  
Anno  
586. Ciac.  
in Pelag.

Sigebert.  
An. 1086.  
Rob. An.  
1136.

Gene-

cos iter fieri posset, nisi navigio; sed & An. 1570. initio Decembris ita intumuit Rhodanus, vt Lugdunensis, quod trans Rhodanum est, suburbij partē diruerit, pontēmq; Lugdunensem ac Viennensem ex parte subuerterit. Atque, vt in compendio omnia comprehendā, communes loquendi formulæ, si magnum exprimendum est malum, dicunt, aliquem *fluctibus agitari, procellā temporis non deuitasse*. Hinc illa Liuij: *Equestrē procellam excitemus oportet, si turbare, ac statum mouere volumus*: & ista Tullij: *Procella patriæ, turbo ac tempestas pacis*. Et ipsæ diuinæ litteræ, magnam tribulationem, aqua metaphorā solent significare. *Tanquā inundantes aqua, sic rugitus meus*, ait Iob. Et alibi: *Apprehendet eum, quasi aqua inopia, nocte opprimit eum tempestas*. Et Dauid: *Assumpsit me de aquis multis. Quoniam intrauerunt aqua vsque ad animam meam. Infixus sum in limo pro-fundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*. Denique vbi multa & magna confluunt mala, *mare* quoddam malorum appellamus. Hæ sunt querelæ, & causæ querelarū, non iam apud mansuetissimum, & in aduersis constantissimum Dauid, sed apud eos, qui *contra iuris*

brard. in Bonifacio VII. Gill. Caronæus. Med. Annonzen. in Ephemer,

Liu. lib. 10. de bello Punico. Cic. pro domo sua.

Iob. 3. 24. Iob. 27. 20.

Psal. 17. 17. Psal. 68. 2.

*formã*, vt ita loquar, *postulant*, non esse, quod  
vident sibi noxium esse, hoc est, apud im-  
patientes. At quid tandem illis rectum est  
Plin. lib. apud quos nõ est rectus intellectus? Taxu  
15. cap. 2. arbor est, non modò funesta, sed & venena-  
ta. Ex hac si fortè pocula confeceris, &  
vinum infuderis, quantumuis suaue & de-  
licatum, continuò fiet noxium & insalu-  
bre. Ita amari sunt quorundã animi, apud  
quos, omnia amarescunt. Vbiq; inueniunt,  
quod illis displiceat; quia res non aspiciunt,  
quales sunt, sed quales illis, turbato animo  
& iudicio, videntur.

## §. III.

*Plerumque in hominibus magis, quàm in  
quis, causam esse valetudinis offense.*

Ast aliter Sancti suprã laudati, aliter ra-  
tio recta, cui omnia opera Domini, vti sunt,  
ita esse recta videntur. Vt ergo de querelis  
illorũ cognoscamus, ad tria capita possunt  
reuocari: *ad offensionem sanitatis, ad inundationes  
& dilunia; ad naufragia & suffocationes.* Ad primum quod attinet, communis est  
caussa est, cum omnibus creaturis: nulla non  
nocet incautis. Certè de potu si sit sermo,  
plures nimio vino, quàm nimia aqua potã-  
da, valetudinem amiserunt. Et quid tandẽ  
est,



est, quod abusu nō possit fieri perniciosum? Ipse sol quosdam, fixis oculis, eius ardentissimam lucem intuentes excæcavit. Quid mirum est, si & aquæ imprudētibus obsint? Habent oculos, quibus paludem pigram ac putrescentes aquas, à fonte pellucido, discernant; ; cur ijs non vtuntur? cur, canum instar, obuia quæq; lambunt? immò cur non, canis instar, è Nilo bibentis, pericula cauent, ? ideò ratio eis data est, vt ea bonū à malo discernant; ideò mala bonis, noxia vtilibus permixta, vt homines se discernere posse, ostendant, Cur obuijs vtūtur, quasi oculis & ratione carerent? Cur illis ferino impetu vtentibus res ad alium vsum factæ non obessent; qui etiam salubria in perniciē vertunt? Itaq; bonis quidā aquis offendunt sanitatem; sed sua culpa; sua intemperātia: cur, Thracum more, clausis oculis, vno ductu, vno spiritu amphoras vacuant, & vel vaccam amyftide vincunt? quasi tota velint flumina epotare? Sunt, multis in locis aquæ insalubres? cur homines ibi habitant, vbi sedes est ranarum & serpentum? Cur nō aliò commigrant, vbi saliant puri latices? vbi riuī fluunt lacte dulciores? Argi, ob aridam terram, fontibus carent, puteis abundant.

Strabo.  
lib. 8.

L 4

Quod

Marineus  
l. i. de reb.  
Hispan.

Quod hominum industria, in vno, id natura, in alio loco compensat, immo & alio tempore. Est oppidū Lusitaniæ, *Villam nouam* vocant, ibi, cū aliæ aquæ deficiunt, fons oritur, Cal. Maijs, & ad Cal. vsq; Nouembres aquas Villænouanis abunde diffundit: postea verò occultatur, latetq; hieme tota, & ad statum tempus, hoc est, ad Cal. Maias renascitur, atq; incolas reuifit. Has vices temporum & locorum seruat natura, quæ varietate delectat: nec vult omnes vbique habitare. §. IV.

*Aquarum vitia, si non vtilia, saltem emendabilia esse.*

Exod. 15.  
23.

rubro venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amara: unde congruum loco nomen imposuit (*Moyse*) vocans illum Mara, id est, amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod cū misisset in aquas

*quas, in dulcedinem versa sunt.* Hoc lignum itaque, & aquarum amaritudinem sustulit, & animorum; docuitque, esse in cælis, qui aquas possit tēperare, & verò etiam velit, si homines eas à DEO exorare non dedignentur; aut, si Sanctos inuocent, quorum ope beneficia eiusmodi impetrantur. Equidē sicut quidam homines morbis, ita vitijs suis quædam aquæ afficiuntur, vt in eis gloria DEI manifestetur. Quod, circa annū 1615. prope Nerishemium, in Sueuia cōtigit, vbi itidem, ad Moyfis exemplum, in fontem injectum lignum, aquis ingens nomen & accursum fecit. Depositæ sunt in illis aquis multæ infirmitates. Fons Vdalricianus vocabatur. Eo abluebant alij corporis mala, alij vires bibendo restaurabant. Et confluxerant illuc ipsi heterodoxi, vt Sancti beneficio fruereutur. Ad Iericho cū venisset **4. Reg. 2.**  
*Elifæus, dixerunt viri ciuitatis ad Elifæum: 19.*  
*Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse, Domine, perspicias: sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cū attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanantur aquas hæc, & non erit ultra in eis mors, neq;*  
*L 5 sterili-*

sterilitas. Sanata sunt ergo aqua, usque in diem hanc, juxta verbum Elisei, quod locutus est.

Ioseph. li.  
5. bell.  
Jud. ca. 4.

De hac re ita scribit Iosephus: Ad urbem Iericho largissimus fons est, rigandisq; arvis vberimus, juxta veterem scaturiens cinitatem: quam IESVS Naue filius, Hebraorum ductor, primam, in Chananaorū terra bello possederat. Hunc fontem aliquando ferunt, non solum terra atq; lignorum fructus, sed etiam feminarū partum obtundere solitum, cunctaq; pariter morbo ac peste corrumpere. Postea vero mansuuisse, contraq; saluberrimum ac feracissimū esse factum ab Eliseo Propheta, qui Helia notus fuerat, atq; successerat. Receptus enim hospitio, ab Hierichuntinis habitatoribus, quod humaniores eos expertus erat, ipsos, & omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus est; progressusque ad fontem, lagenam fictilem, novam salis plenam in profluentem aquam misit. Iuxta deinde ad calum dexteram tendens, fontique immergens blāda libamina, ipsum quidem precabatur: ut fluentia leniret, ac dulciores aquarū venas aperiret: Deum verò, ut fecundioribus auris flumina temperaret, orabat: tamq; ubertatem fructuum, quam successionē prolis daret indigenis; nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad justī manerent. Ad has preces, ex discipulis

ciplina, manibus quoque, multa operatus, fontem  
immutavit: & qui antea caussa erat his orbi-  
tatis, ac famis, idem victus ac fecunditatis  
auctor est effectus. Denique, rigationis eius tanta  
potentia est, ut si attigerit modo terram, sapi-  
dior sit, aquis diu perseverantibus. Unde eo, qua  
largius utuntur, exiguum emolumentum ha-  
bent, que vero parcius, plurimum. Amplius ta-  
men, quam ceteri fontes spacium rigat; & septua-  
ginta quidem stadiis longam, viginti autem lata  
planiciem permeat. Hæc Iosephus. Quibus  
docet, suos quidem etiam aquis morbos aut  
vitia esse; sed posse sanari; & vel idcirco esse  
exitiosas, ut Deus manifestet, quam utiles  
sint Rebus publicis serui sui, quamque salu-  
tares; ut qui ex illis exitia tollant; tollerent  
etiam murmuraciones, si doceri se sinerent  
murmuratores. Quos, vel solo naturæ du-  
ctu, instruit Plotinus, qui de Mundi defecti-  
bus loquens ait: Fortè etiã, quia nisi hæc essent,  
imperfectum foret & totum. Plurima namque  
malorum, vel cuncta potius, quandam toti præ-  
stant utilitatem; quemadmodum venenosa, qua-  
vis plurimorum usus & ratio lateat. Iam vero  
prauitatem quoque, ipsam multa constat utilia  
continere, multaque reddere pulchra, pulchri-  
tudinis artificiosa more; suscitatur sepe homines  
ad

lib. 3.  
cap. 2.  
cap. 18.

Plotin.  
lib. 3. en-  
nead. 2.  
cap. 18.

ad prudentiam, neque securiori licentia tor-  
pere permittit.

## §. V.

*Inundationes extraordinaria aquarum ostendunt, quantum sit beneficium ordinaria cohibitio aquarum, ne inundent.*

Altera, contra aquas, querela, inundationes, diluuvia, populationes, & laxata fluminibus marique ipsi frœna accusat. His enim

Ouid. l. 1.  
Meta-  
morph.

*Sternuntur segetes, & deplorata colonis  
Vota jacent, longiq; perit labor irritus anni.  
Expatiata ruunt, per apertos flumina cã-  
pos,*

*Cùmq; satis arbusta simul, pecudèsq; vi-  
ròsq;*

*Tectaque, cùmque suis rapiunt penetralia  
sacris.*

*Siqua domus mansit, potuitq; resistere tanto  
Indiecta malo, culmen tamen altior huius*

*Vnda tegit, pressaq; latet sub gurgite turres.*

Hæc inundationis facies, pro impatientibus videtur perorare. Quæ tamen si oculis æquioribus aspiciatur, Dei causam agit. Ex inundationibus quippe istis cognoscimus, quanta sit Numinis cura, ne sæpius exorbitent vel flumina, vel maria. Totum enim

mun-

mundum perditum irent aquæ, nisi à DEO  
cohiberentur, vel inde laudabili, quia ligat Iob 26. 8.  
aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter Pf. 32. 7.  
deorsum, & terminum circumdedit aquis, usq;  
dam finiatur lux & tenebræ; congregans, sicut  
in utre, aquas maris: ponens in thesauris abyssos.  
Estque planè mirabile, in sublimi, & supra  
aërem nubes & imbres, aëre longè grauio-  
res, suspendi, nec simul ruere, nec semper.  
Vnde & Salomon interrogat: *Quis colliga-* Prou. 30.  
*uit aquas, quasi in vestimento?* Admirationi 4.  
erat, Romæ, Tuccia virgo Vestalis, incesti Plin 1. 28.  
criminis rea, cum aquam cribro hausit, an- cap. 2.  
no 609. Quod longè maius est, in nubibus  
videmus aquas portari deorsum non deci-  
dentes, & non miramur? At tum demum  
experimur beneficij magnitudinem, cum,  
rupta nube, nimbi, toto impetu, cadunt,  
aut flumina, vel maria limites suos trāsgre-  
diuntur, omniāq; obruunt. Ex damno enim  
æstimamus, quid sit, damno liberari: & be-  
neficia nubium nocuentis commendan-  
tur. Pari pacto, qui subitis inundationibus  
aquarum inuoluuntur, discunt agnoscere,  
quanti sit cohibitio inundationis facienda.  
Ea autem cohibitio, tot annos & sæcula,  
durat, & non admiramur? opus planè est  
omni-

omnipotentis, & naturam ipsam vndarum refrænantis. Cùm enim natura aquis locū tribuerit supra terram; nisi naturæ author aquas, velut in vtre congregasset, ijs utiq; subsidentes terræ omnes vndique cooperirentur. Id ne fiat, diuina manus obstat. At, quia aquas tam diu domitas aspiciamus, consuetudo nobis ademit admirationem.

## §. VI.

*Quantum admirati sint SS. Patres terminos aquarum à Deo positos, ne transirent fines suos?*

**S. Ambr.**  
orat. de o-  
bitu Sat-  
yri.

Sed non ademit S. Ambrosio dicenti: *Nonne omnes Dei gratiam jure miramur, cùm aduertimus, quòd insensibilis natura, quadam sensibili ratione, suos fluctus coërceat, & fines suos vnda cognoscat?* Nec ademit admirationē

**S. Chry-  
sost. hom.  
ad pop.**

S. Chrysostomo; qui cùm videret mare, intra fines suos, non esse tranquillum, sed turbatum, & ferox, & vndosum, & in morem montiū, procellis metuenda altitudine erectum, ac, resonante vnda boans, admirari satis non potuit sapientissimam diuinæ virtutis potentiam, quæ, multis locis, tantæ ferociæ, non rupes & saxa, sed fragilem duntaxat arenam obiecit; quâ tam vehementer impetus excipitur, frangitur, & eò, vnde

irruit,



irruit, quasi per ludum, refunditur, ut  
dubites, fortiusne insultrum faciat, an  
reciproco impetu, potentiùs cogatur re-  
silire? Neque ipse Dauid hîc fuit sine ad-  
miratione, cuius illa sunt: *Eleuauerunt flu-  
mina, Domine; eleuauerunt flumina vocem suam.* Psal. 92. 4.  
*Eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus a-  
quarum multarum. Mirabiles elationes maris,  
mirabilis in altis Dominus.* Secuti sunt eum  
& alij, inter quos, in aquarum & terræ con-  
tinentis cõiunctione miratur Theodoretus **Theodo-  
ret. serm.**  
*ineffabiles fluctuum saltus, & prouidentie fra-  
num, quod illis iniectum est, & quo impediti* 2.  
*terras inundare nequeunt. Sed cum contra a-  
renam, cum impetu, feruntur, positos tamen si-  
bi terminos pertimescunt; & dum legem sibi à  
Deo latam illic inscriptam vident, instar con-  
tumacis equi, qui à sessore freno retractus col-  
lum reflectit, retròq; cedit, refugiunt, quasi &  
eius facti illos pœniteat, quòd arenis appellere  
ausi sint.* His talibus, satis videtur **DEVS**  
prospexisse damnis aquarum, immo impen-  
dio magis animus gaudebat illis, quando  
littora intruebantur, & vel saxeam, vel are-  
nosam illam maris custodiam; in qua **DEI**  
curam & prouidentissimam gubernatione  
suspexit **Basilius** *nudantem aquis dorso, qui-* **Basil. Sc-**  
*bnsdam*

leue. orat. *busdam velut in cellis maria concludentem; di-*  
*imperio in abyssum utitur, pro claustro & are-*  
*na. quasi habena formidabili mare continet, ter-*  
*ram liberam seruās à Pelagi eluione: esto ven-*  
*torum impetū ad terrā mare propellatur. Fer-*  
*tur illud quidem fluctibus altè elatum: ubi verò*  
*terminos attigerit, reuertit, refugitq;, & Do-*  
*mini vocem littoribus inscriptam, cum intui-*  
*fuerit, curuatis fluctibus termini positorem ad-*  
*orat. Cūmq;, terram violentè feriat, referitur,*  
*ac diuini imperij memor refertur in fugam.*  
*Quare placidè purpurascens adulatur vicine*  
*continenti, quasi mollibus vlnis terram comple-*  
*cti occupet; semper Domini præcepto cohibetur,*  
*& tantum non singulis momentis audire natū.*  
*Congregentur aquæ in locum vnum, & ap-*  
*pareat arida. Et manet præcepti memor aren-*  
*vinctū; nec, præ victoris reuerentia, vincula*  
*violat, vocemq;, Propheta ratam facit: T E R-*  
*MINVM POSVISTI, QVEM non trans-*  
*gredientur. Quod cum ita sit, an non in*  
*omnes iras & Diras deriuant illi homines*  
*quibus earum Cōditor itidem leges posuit*  
*quas tamen transgrediuntur, ipsis marinis*  
*fluctibus inobedientiores? Nulla eos præ-*  
*cepta, nulli limites coërcent; & indignat-*  
*tur, si fluuius inundat, & pascua arenis*

moq; maculat? Astricti sunt illi diuinis mā-  
datis; nulla astrict<sup>9</sup> est lege DEVS, vt aquas  
cohibeat à nocuentis: quamuis tamen ea  
mortales millies meruissent pati, nihilomi-  
nus vix semel eos pessumdat; sed potentiā  
suā eluiones ab eis abarceat.

§. VII.

*Potestas etiam Sanctis quibusdam data, ad a-  
quas, certis limitibus, coercendas.*

Quæ bonitas vt intelligatur, potestatem  
in aquas subinde, & Sanctis suis DEVS con-  
cedit; quorum vis illa, sine inundationi-  
bus, aut violentia fluctuum, non inclaresce-  
ret. Eorum autem vis est virtus DEI. Itaq;  
in seruis suis, ostēdit Dominus vires suæ bo-  
nitatis: vt, si miremur, in hominibus, quod  
in illis gratia est, multo magis miremur, in  
DEO, quod in illo natura est. Quam stupen-  
dum fuit, Moyse populum, per mare rubrū,  
ducēte, erectos hinc inde, murorum instar,  
stetisse immobiles fluctus, & siccum DEI  
cultoribus transitum dedisse? Quantæ ad-  
mirationis fuit, cum Iordane diuiso, & ma-  
ris exemplum sequente, idem effecit Iosue?  
An autem hæc, in veteri Testamento dun-  
taxat contigerunt? Etiam, in nouo, legim<sup>9</sup>,  
similia contigisse. Fantinus Syracusanus,

Exod. 14.

Iosue 3.

Marul. li.

2. cap. 2.

M

Balza-

Balzaniū, ob equos strigiosiores, quos illi pascendos cōmiserat, iratum fugiens, praemissis precibus, ad cælum, Motabrum frumen, virgâ dissecuit, & siccis pedibus transiuit, iramque euasit persequentis. Aiunt & S. Fridolinum Viatorem, infulam Rheni, vbi nunc Succingum oppidum est, à Clodouæo rege Gallorum dono acceptâ, defuncto rege, incolis tumultuantibus, habuisse controuersam; sed precibus à DEO impetrasse, vt Rhenus à dextero, in sinistrū alueum miraculosè deriuaretur, atq; illi, cōtra Ethnicos, propugnaculum ex vndis faceret. Hoc miraculo Fridolinus incolas Christo est lucratus. Turpe enim fuisset, homines illi non cedere, cui videbant, vndas ipsas, & tantum flumen obedire. Similius est, quod de nostro Iosepho Anchietâ scriptum reliquit Sebastianus Beretarius, & his verbis commemorat. *Eodem in littore, die alio, piscandi, salientiq; operi intentis alijs, cū se à cœtu, diuina liberius cōtemplandi causâ, subduxisset, spatium trium quattuorue horarum, plus minus, desideratus est: eum, vestigia secutus, tandem in littore sedentem, frater illi comes inuenit; & illo ipso tempore maris astus accedebat, qui quâdam diuino imperio accepto, cū prater eum finem*

Sebastiã.  
Beretar.  
li. 4. vitæ  
Iosephi  
Anch.

Si Ioseph  
5722

ubi Iosephus sedebat, longè fluctus eiecisset, ab eius tamen corpore ita undas cohibuit, ut aquæ illi, & à fronte, & utroq; ab latere, quasi in sinum diducta, ac veluti in parietes erecta, nullà contactum alluione, ac ne aspergine quidem circumsepirent. Diceres rubri maris miraculum, in transitu Hebræorum, renouatum esse: non audebat frater, intra undarum hiatum, se insinuare, sed extra ultimos fluctus, quanta maxima poterat, vocis contentione, Patrem cōpellabat; ad vocis clamores, strepitum etiam, fragorémq; asserum addebat. Cúmq;, ne sic quidem, fremitum maris superaret, neq; alto contemplationis somno consopitum Iosephi animū excitaret, fretus & ipse diuino patrocínio; diductum intrat aquarum septum, Patremq; admonet, tempus esse hospitium repetendi, abeuntes unda sequebantur; præuentéq; Patre, talos subsequentis fratris alluebant; ille territus periculo, Patrem antecessit. Eum Pater leniter verbis increpans: nescis, inquit, quia venti & mare obediunt ei? timere prohibuit. Pratergressis tandem extremam alluionem, tum mare littore toto coaquatum. Impios aquæ sequuntur, ut opprimant; Sanctos fugiunt, ne vel aspergant.

## § VIII.

Sancti etiam super fluctus ambulantes, aut pal-  
lio, vice navis, utentes.

Neque verò necesse est, aquas fugere, aut  
fluctus in altum erigi parietem, ut Sancti  
transire, sicco vestigio, possint: possunt super  
ipsas aquas, sine pontibus ambulare. Primum  
id fecit Magister Sanctorum. Nam Apostoli

Iob. 6. 19. viderunt IESVM ambulantem super mare, &  
proximum navi fieri, & timuerunt. Discere  
hanc artem voluit & Apostolorum Princeps;

Matth. 14. alio quippe tempore, quarta vigilia noctis  
25. venit, ad discipulos Dominus, ambulans su-  
per mare. Respondens autem Petrus, dixit: Do-  
mine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.  
At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de na-  
vicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad  
IESVM. Videns verò ventum validum, timuit  
& cùm cœpisset mergi, clamavit dicens, Domi-  
ne, saluum me fac. Et continuo IESVS exten-  
dens manum, apprehendit eum: & ait illi: Mo-

Ioan. 21. 7. dica fidei, quare dubitasti? Alia vice, fide firma-  
or, adeoq; in arte hac perfectior, Simon Pe-  
trus, cùm audisset, quia Dominus est, tunica se  
cinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.  
Nimirum DEO fretis aquæ consistunt, &  
terræ in modum solidantur; sicut & terra

cedit, saxaq; ceræ instar, cùm ira juuat, molliuntur. Cõcessa est eadem gratia S. Mauro, de quo D. Gregorius hæc habet. *Quadam die, dum idem venerabilis Benedictus in cella confisteret, Placidus puer, S. viri monachus, ad hauriendam, de lacu, aquam egressus est: qui vas, quod tenuerat, in aquam incaute submittens, ipse quoq; cadendo secutus est. Quem mox unda rapuit, & penè ad unius sagittæ cursum, eum à terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus, hoc protinus agnovit, & Maurum festinè vocavit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexit, in lacum cecidit: iam q; eum longius unda trahit. Res mira, & post Petrum Apostolum, inusitata. Benedictione enim postulata atq; excepta, ad patris sui imperium concitus perrexit Maurus. Itaq; usq; ad eum locum, quò ab unda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eumq; per capillos tenens cursu rapido redijt. Qui mox, ut terram tetigit, ad se reuersus, post tergum respexit; & quia super aquas cucurrisset, agnovit, & quod presumere non potuisset, ut fieret, miratus extremuit factum. Reuersus itaq; ad patrem rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc nõ suis meritis, sed illius obedientia deputare*

S. Gregor.  
l. 2. dial.  
cap. 7.

Vigil. II  
148.

Mar.  
Comes  
Mithel.  
lib. 8. c. 11

Fulgens  
lib. 1. c. 11



cepit. At enim contra Maurus pro solo eius imperio factum dicebat: seq̄, conscium, in illa virtute non esse, quàm nescius fecisset. Placidus quidem litem pro Benedicto decìdit, sed nec Mauro inde sua laus adempta est; uterque miraculo dignus fuit. Ut enim ille sanctè præcepit, ita iste prodigiosè obediuit. Calcat vndas celeritas obediendi. Cur enim non posset celeritas voluntatis, quod veteres celeritati pedum ascripserunt, in Volsea illa sua Camilla, assueta cursu pedum prævertere ventos?

Virgil. li.  
7. Æn.

*Illa vel intacta segetis per summa volare  
Gramina, nec teneras cursu lasisset aristas.  
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore  
plantas.*

Natal.  
Comes  
Mythol.  
lib. 8. c. 13.

Et, si fabulas placet audire, Orion Neptuni F. à patre Neptuno impetrasse fertur, ut tibi super vndas, quàm super terras posset incedere: cur id à Patre cœlesti non possent impetrare Sancti? Et verò impetrarunt. Nam

Falgosus  
lib. 1. c. 6.

Maria Ægyptia siluicultrix pariter animo leuis, & corporea mole grauis esse desinens Iordanem amnè, sicco vestigio, neq; semel tantùm transgressa est; qui fluvius, si sola naturæ vis inspiciatur, trajici, sine naui, non potest: ut illa proinde meritò possit Christiana



stiana Camilla appellari. Fertur & S. Conradus Constantiensis Episcopus, in lacu Acroniano, non tinctis pedibus, ambulauisse. Et Sigonius scribit, Ioannem Episcopum Bergomensem, sub Ariperto rege Longobardorum, cum Mediolano Bergomum se referret, Abduam amnem, siccis vestigijs, pertransiisse. Nullis pontibus indigent, qui manibus portantur Angelorum. Tutiores sunt in fluctibus amici DEI, quam inimici in nauibus. Vnde & S. Blasius Episcopus in lacum projectus illæsus exiuit, qui nec natare didicerat, nec nauigare. Sed pro vtraque arte illi pietas fuit, quam veritus est lacus lædere. Quin & Nazarius & Celsus martyres in mare præcipitati, super vndas inceserunt. Quos extemplo puniendi deturbatores, orta statim tempestate, cum conspexissent nõ mergi, vt sibi subuenirent, etiam atque etiam petierunt. Sanctis ergo in nauim receptis atq; orantibus, placatę detumuerunt procellę, posuerunt venti, & tempestas transijt in serenitatem. Sic pro Sanctis aquę decertant; & quę in DEI hostes exasperantur, mitigari se sinunt à DEI seruis; quibus, cum impij homines malum facere volunt, elementa ad nutum famulantur. Ad hunc

M 4 enim

Sigon. li.  
2. regni  
Ital.

Sur. 3. Fe-  
bruar. in  
vit. S.

Blasij.

Marul. li.

3. cap. 3.

enim modum, Ioannes quoq; Capistranus, Franciscanus, & Iacobus Piceus, sicut refert Bonfin. Bonfinius, ab Nicolao Pontifice Rom. vt 1.8. Dec. 3. Germanos, Polonos, & Vngaros, ad expeditionem contra Turcas suscipiendam, horrentur, missi, cum Padum traicere vellent, & ab auaro portitore pertinacissime repellerentur (vt qui tanquam Christi pauperes, pecunia carerent, quam pro nauo darent) in diffusum super vndas pallium, cum comitibus confedere: & veluti quadam naufragij tabula in ripam alteram, non sine attoniti stupore portitoris, diuina ope, tuto translatisunt. Varia saepe spectacula mundo exhibuerunt Diui, sed, eo die, comoediam dederunt palliatam: quemadmodum etiam, quando Elifaeus Eliae pallio, sibi, per Iordanem, viam fecit.

4. Reg. 2.  
14.

## §. IX.

*Aquarum eluiones, etiam in aliorum utilitatem, a Sanctis cohibita.*

Facile video, inquires, Sanctis vndas cedere, aut velut glaciatas, ac frigore concretas non cedere, vt tanquam per pontem impedi trāseant. Sed hoc eos parum iuuat, quoniam non sunt sancti, in quos, ne flumina de aluibus deq; ripis suis exitiose effundantur, saepissime

mè Sancti non obstant. Duo do responsa. Primum est, sæpe non prodesse, vt obstant, quando res ad exemplum pertinet, ac ita diuina iustitia exigit mortales plecti; imò quando Sancti ipsi, hoc pacto, ob iniurias impie illatas vindicantur. De quo argumento mox agemus. Alterum est, quando ita DEI gloria nomenq; crescit, omnino etiam hanc Sanctis, à Domino, conferri potestatem. Imò, vt S. Gregorius Nyssenus loquitur, *Nihil obest homini fidem vere sectanti. sstuntur ubiq; flumina, ac velut seruiunt illi imperanti. Fidem rei astruit Gregorius Thaumaturgus.* Cum Lycus rapidissimi impetus fluius incolis atrocem, quotannis, inferret cladem, agros, pecora, ipsam deniq; gentem non carptim, sed agminatim obrueret, & vt quæq; deprehenderat, perditum iret; exeruit sese prodigiose ubique Thaumaturgi virtus. Is, instar Moyfis virga fluios ac maria regentis, ad egurgitantem sese & omnia populantem Lycu, processit, baculumque, quo seniliter nitebatur, in ripa depinxit, cõfidentissime mādans flumini, ne post hac, limitem excederet, aut datum conitutumque inibi terminum præteriret. Dictum, factum. inuenit fides viri, in flumio,

M 5 obedi-

et ubi

S. Gregorius Nyssenus in vita S. Greg. Thaumaturgi. cap. 12.

Et Nicephorus li. 6. cap. 1.

il. noyit  
quid ob.  
hinc

obedientiam, atque in ligno quoque impa-  
cto virtutem viuere, ostendit. Siquidem sci-  
pio ille viruit, &, diffusis quaqua ramis, in  
excelsam excreuit arborē, quæ, vsque ad D.  
Gregorij Nysseni tempora, ab omnibus eò  
confluentibus, magna cū veneratione, mō-

**Psalm 1.3.** strabatur, spectabatur: eratq; verè *tanquam*  
*lignum, quod plantatum est, secus decursus a-*  
*quarum.* Sed cur baculus illius viri non eui-  
resceret, cuius tantopere floruit virtus? Ad  
hoc exemplum Frigidianus quoq; Lucanæ  
Ecclesiæ Episcopus, fluuium Auferim, agros  
longè lateq; inundantem, cursum mutare  
coëgit, atque ex proprio alueo, precibus,  
aliò deriuauit.

## §. X.

*S. Hilarionis, per signum crucis, contra exun-*  
*dans mare, potestas.*

Illustre est illud, quod de S. Hilarione  
**Sigon. li.** Sigonius recenset. Circa an. salutis 365. ter-  
**7. de Imp.** ræ motu totius orbis (qui, post Iuliani mor-  
**occid.** tem, accidit) concussa maria, & velut ex-  
territa egressa sunt terminos suos; &, quasi  
rursus Deus diluuium mundo minaretur,  
vel in antiquum chaos redirent omnia, na-  
ues ad prærupta delatæ montiū, in sublimi-  
penderunt. Quod cū viderēt Epidauri-  
tani,

tani, frementes scilicet, indomitos fluctus, atque vndarum moles, montesq; gurgitum elatissimos littoribus inferri, veretes, quod iam partim euenisse cernebāt, ne totum oppidum funditus subuerteretur, ingressi sunt ad Hilarionem, &, quasi Ducem ad praeliū comitantes, cum in littore posuerunt. Qui cum tria crucis signa pinxisset in sabulo, manusq; contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit: ac diu fremēs, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsū relapsus sit. Vides hīc causā, ob quā mundi Gubernator mari potestatem fecerit, fines suos transfiliendi? Sic suam, sic Sācti sui, sic crucis patefecit vim ac potestatem; sic fidem propagauit; sic Ecclesiam auxit; sic fiduciam hominibus attulit, vt, in omni periculo, discerent ad diuinum confugere auxiliatorem, neque Diuorum patrocina aspernarentur.

§. XI.

*S. Sabini epistola Pado flumini scripta, quam fuerit potens?*

Similem in aquis potentiam, Attala Abbas, apud Ferrarium, ostendit. Similem de Sabino Placentinorum Episcopo testatam reddit,

Ferrar. 10<sup>o</sup>  
Martij.

S. Greg. l. 3. cap. 10. dialog. reddit D. Gregorius. *Ei enim, dum die quadam, suus diaconus nuntiasset, quod cursus sui Padus alueum egressus Ecclesie agros occupasset, totaq; illic loca nutriēdis seminibus profutura, aqua eiusdem fluminis teneret, venerabilis vite Sabinus Episcopus respondit, dicens: Vade, & dic ei; Mandat tibi Episcopus, ut te compescas, & ad proprium alueum redeas. Quod Diaconus eius audiens, despexit, & irrisit. Tunc vir Dei accersito Notario dictavit, dicens: Sabinus Domini IESU Christi feruus cōmonitorium Pado: Præcipio tibi, in nomine IESU Christi Domini nostri, ut de alueo tuo, in locis istis, ulterius non exceas, nec terras Ecclesie lādere præsumas. Atq; eidem Notario subiungit, dicēs: Vade, hoc scribe, & in aquam eiusdem fluminis proyce. Quo facto, sancti viri præceptum suscipiens, statim se a terris Ecclesie fluminis aqua compescuit, atq; ad proprium alueum reuersa, exire ulterius in loca eadē non præsumpsit. Quā in re, Perre, quid aliud, quam inobedientium hominum duritia confunditur, quando in virtute IESU, & elementum irrationabile sancti viri præceptis obediuit? Cur non obediret quoque hoc elementum ipsi DEO, inobedientibus irascenti, atque aquas, de alueis suis in eos, agminis instar, emittenti? Punit justè flammis, cur inique*

cal. 1879  
1879  
biblioth.

*aquarum damnis, laudabilem esse.* 189

iniquè plectat vndis? cùm sit Dominus  
vtriusque elementi.

C A P V T. VIII.

*Aquas mortalibus nocentes, esse Dei in-  
stissimè punientis instrumenta; ac sepe  
etiam velut iudicia, quibus mali à bonis  
discriminantur; sed cum iudicio,  
& non sine delectu agno-  
scenda.*

S. I.  
*Aquarum exorbitantium pericula,  
damna, vituperia.*

**H**inc ad tertiam querelam respon-  
sio datur, quæ duabus prioribus  
suapte natura cohæret. Quippe  
si aquæ sunt, quæ possunt sanita-  
tem lædere; si diluuiâ, quæ valent in damna  
hominum excurrere; procliue est cogitare,  
& illas reipsa, & ista nocere; enimuerò, et  
si, metu ipso, grauius affligant humanam  
solicitudinem, tamen insuper etiam & fu-  
nera facere, atq; alijs extremis malis terræ  
incolas mactare: & eos, qui ad naues con-  
fugiunt, allidere, scopulisque inferre peri-  
turos. Neque enim *sata leta bonumq; labores,*  
& iumenta dūtaxat diluuijs, sed etiam tota  
ædifi-